



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 53. Novæ Trimolii sollicitationes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

di medium superesset, hinc ajebant sup-  
plicare se Trimollio, quatenus datis li-  
teris Regem rogaret, ut Virum dignita-  
te conspicuum, qui relationi ad acta fa-  
ciendæ præsens adesset, mitteret, ac  
publicationem hisce verbis conceptam  
fieri pateretur: *Lectum, publicatum, at-  
que ad acta relatum ex ordinatione, & man-  
dato Regis iteratis vicibus facto, præsentem  
Oratorem specialiter hanc in rem deputato.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1518.

## §. LIII.

*Novæ Trimollii Sollicitationes.*

Die decima nona Martii Parlamenti Cu-  
ria iisdem atque iteratis precibus  
Trimollium urgebat, exponens, quod  
magis expediret, Cancellarium, qui pu-  
blicationi Concordati adesset, a Rege no-  
minari, sic enim rem majori cum solem-  
nitate perfici. Verum Trimollius ad Re-  
gem perscribere renuens, scitote, inquit,  
ejusmodi tergiversationes Regi summo-  
pere displicere; dum enim ab urbe Pari-  
sienfi discessi, literas a Rege accepi, qui-  
bus illius mandata exequi jubeor, inse-  
ruit quoque Regia sua Majestas articu-  
lum, cujus executio a vestra agendi ra-  
tione, quam in hac causa tenueritis,  
omnino dependet: cum vero supremus  
Parlamenti Præses sibi Regis jussa osten-  
di peteret, renuit Trimollius, asserens,

*Pinsson. hist.*  
*Pragm. &*  
*Concord. p.*  
*634.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1518.

ea Parlamenti Patribus exhibebo, quamprimum vos Regiæ petitioni morem gerere declaraveritis, postea vehementer instabat, ut tandem Curia Regi obtemperaret, ne contumaciæ suæ pœnas dare cogeretur: His perceptis conscripti Parlamenti Patres rationibus, quæ obedientiam suaderent, mature discussis, serio perpendebant, quod data repulsa Regis indignatio, & futura Parlamenti dispersio, regnique tumultus impenderent; cunctæ hæ rationes, quamvis essent mere temporales, præsentem tamen Episcopo Lingonensi Duce ac Pari Franciæ obtestati sunt; *Si quæ Concordati recitatio, aut publicatio fieret, id neque suffragiis, neque voluntate neque consensu, aut Decreto Patrum, sed solo Regis imperio committi; demum Curiam Parlamenti nunquam censuisse, ut Concordata firmarentur, grata haberentur, aut aliquem sortirentur effectum, neque etiam, ut Senatorius Ordo, vel Judices Ordinarii de litibus, & causis inde manantibus cognoscerent, aut judicarent, imo vero hoc unicum in votis habuisse, ut sacrosancta Conciliorum Decreta & Sæditio Pragmatica exactissime, & integerrime observarentur, similiter intendere ac discernere, ut Senatus consultum factum vigesima quarta Julii Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo sexto plenum ac integrum adipisceretur effectum.*

§. LIV.

## §. LIV.

Sæcul. XVI.

*Secunda Parlamenti Provocatio ad*  
*Papam, & Concilium.*

A.C. 1518.

Verum Parlamenti Patres plenius edocti, quæ summus Pontifex post Procuratoris Generalis appellationem Gallici Regni nomine factam pro Pragmatica penitus abolenda Romæ in Concilio Lateranensi egisset, huic appellationi inhærentes rursus provocabant ad Papam melius consultum, & futurum Concilium generale legitime congregandum, petendo apostolos instantissime ab Episcopo & Duce Lingonensi, & Franciæ Pari; quos quidem apostolos dictus Episcopus Lingonensis, ad honorem Dei Omnipotentis, ita loquuntur Patres, pro Ecclesiæ Gallicanæ, Regni, ac Reipublicæ præsidio & conservatione concederet reverentiales, & quales de jure pro remedio opportuno, secundum temporis necessitatem concedere potest, & debet. Post hæc Curia hujus provocationis instrumentum fide dignum sibi tradi postulabat, ad Senatus tabulas referendum.

*Pinsson. hist.*  
*Pragm. p.*  
735.

## §. LV.

*Libellus supplex ab Universitatis Rectore Parlamento porrectus.*

Trimollius diem vigesimam secundam Martii publicandis concordatis præfixam

U 5

fixam